DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

CASUM ILEI SINGULAREM SISTENS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XX. M. AUGUSTI A. MDCCCXLIX

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ERNESTUS ALEXANDER WUTTIG

NEOMARCHUS.

OPPONENTIBUS:

G. MEHLHAUSEN, MED. ET CHIR. DR.

E. WALBRACH, MED. ET CHIR. DD.

O. KESSLER, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI

TYPIS GUSTAVI SCHADE.

PARENTIBUS

OPTIME DE ME MERITIS SUMMOPERE COLENDIS

NEC NON

FRATRI DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Crescunt litterae sicut formicarum acervi adferente quavis stipulam.

Saepe numero cogitanti mihi, quidnam eligerem ad dissertatiunculam conscribendam, rejicienti alia, quippe quae viribus essent majora, alia, quum jam saepius tractata esse omnique ex parte satis illustrata intelligerem, ita ut nihil novi afferri posset, neque vellem, quae iterum iterumque jam dicta essent, denuo repetere, aptius mihi visum est majoris cujusdam morbi historiam enarrare, ex qua forsitan aliquid profluere possit, quod nonnullius sit momenti.

Elegi autem graviorem ilei casum, cujus observandi in clinico Ill. **Wolff**, praeceptoris humanissimi, mihi occasio data est. Eo facilius animum haec

res occupavit, quo rarius nobis morbus occurrit et quo majores exstant in re dijudicanda diffficultates, quum permultae valde inter se differentes causae inveniantur, quae possint statum eum, cui nomen ilei insit, efficere. Etiamsi hae difficultates jam ex parte superatae sunt, postquam conditiones, ex quibus oriatur morbus, cadaverum sectione atque aegrotantium observatione accuratius cognovimus, nihilominus adhuc medicorum sententiae de morbo valde differunt, quod verum esse haud negabis, dummodo perpendas, ne nomen quidem ilei eodem sensu ab omnibus in usum vocari. Plurimi certe nunc conveniunt, ileum eam conditionem pathologicam designare, quae proficiscatur ex impedita faecum propulsione, ita ut motus peristalticus convertatur in contrarium, quem dicunt antiperistalticum, atque hac ratione vomitus oriatur. Qualecunque autem hoc impedimentum esse possit, longiore sermone copiosius hic exponendum esse non videtur, quum justo saepius jam hoc factum sit; minime vero alienum puto, de ileo sic dicto spontaneo perpauca verba facere, de eo enim adhuc sub judice lis est. Res autem ita se habet. Quaeritur situe

ileus spasticus statuendus? Sunt, qui hoc negent contendantque, hunc morbum nullo alio modo gigni, nisi paralysi partiali tunicae muscularis intestinorum, verum etiam sunt, qui, concedentes tali paralysi ileum effici posse et re vera haud raro effici, non ex ea sola causa, sed ex spastica quoque constrictione partis cujusdam intestinorum morbum oriri censeant. Inter illos solam paralysin statuentes inprimis nominandus est Abercrombie*), qui hoc modo morbum creari judicat.

Functionibus hujus systematis adhuc integris contenta propelluntur contractionibus et deinceps dilatationibus singularum intestini partium secundum rhythmum quendam se invicem excipientibus tali fere ratione, ut una quadam parte contracta ea, quae proxime subjacet, dilatetur. Tunc hic locus modo dilatatus coarctatur, qua re fit, ut faeces in partem subsequentem eo tempore non contractam descendant. Idem in reliquo intestino iteratur.

*) J. Abercrombie's pathologische und practische Untersuchungen. II. Theil. Aus dem Englischen von Gerhard von dem Busch.

Abnormem autem statum duplici modo effici posse, explicat Abercrombie. Aut enim tunica muscularis in loco aliquo vi contractionis necessariae destituta est atque relaxata manet, aut aliqua intestini pars usque ad gradum normalem non potest dilatari. Hic alter casus si exstat, spasmum tunicae muscularis Abercrombie rejicit. Primum igitur relaxatione impedimentum creatur. Parte enim, quae contrahi non possit, magis magisque faecibus completa ac denique omnino resoluta, contenta ex loco antecedente sursum adscendant, necesse est, quum haec via minus sit difficilis. Ita fere motus antiperistalticus, quem dicunt, gignitur. At vero idem fieri debet in altero casu, si una quaedam pars coarctata manet. Pars enim antecedens, quae adhuc amplificari potest, ultra normalem gradum pedetentim extenditur, ita ut paulatim eadem oriatur conditio, quae antea jam exposita est, quare exitum in utroque casu eundem esse non mirum. Quamvis autem haec probanda videantur, nonnulla contra hujus celeberrimi viri judicium afferri posse puto, quod attinet ad coarctationem illam abnormem. Ileum enim spontaneum hac ratione num-

quam effici contendit Abercrombie negans ex spastica constrictione hunc morbum exoriri. Spasmum autem hoc in loco cogitari posse, quis est, qui dubitet, quum nihil inveneris, cur in hanc potissimum systematis musculorum partem talis status non incidat. Id unum quaeritur, num certae sint causae, quibus haec hypothesis confirmetur. De tali conditione cogitari posse, Abercrombie ipse concedit, attamen hoc ex lubidine ac sine ullo argumento fieri censet, oblitus eodem modo se ipsum agere. Sed ad rem ipsam aggrediamur. Nititur Abercrombie cadaverum sectionibus. Neque vero probandum videtur, medicinam solis sectionibus construere, quum fortasse res post mortem aliae inveniantur, atque qualia vita durante exstiterint, aut status, qui inveniatur, ex alio exortus sit, cujus nulla amplius vestigia adsint. Certe observatio diligentior aegrotorum atque judicium ex effectu medicamentorum haustum accedat, necesse est. In aegrotis autem nonnulla commemoratione digna occurrunt.

Primum enim morbum saepe videmus ex colica gigni, quare haud scio, an hoc in casu cogitandum

sit de musculorum contractione per reflexionem effecta, quum fibrillae sensitivae tali conditione magis ad irritamentum percipiendum dispositae nescio qua re quamvis levioris momenti gravius affici possint. Deinde autem huc pertinent, quae permulta experimenta in morbo sanando instituta nos docuerunt, eoque magis, quo minus sententiae differunt. Nec non Abercrombie, quamvis hanc ilei speciem, de qua agitur, semper de paralysi proficisci putet, validissima antispasmodica simul cum multi sanguinis detractione in usum vocari suadet. Idem censet clysmata ex foliis Nicotianae parata permagni emolumenti esse, attamen consulto adjicit, majores doses sine haesitatione adhibendas esse, donec caput gravatum sit atque musculorum tonus omnino diminutus videatur. Quomodo autem tali curatione paralysis tollatur, haud perspicuum. Explicare quidem horum medicamentorum effectum Rokitansky*) conatus est, attamen quum, quae dicit, parum simplicia et nimis artificiosa videntur,

*) Handbuch der pathologischen Anatomie von Carl Rokitansky. 3. Band.

tum quasi natura ipsa ad spasmum adducimur, ut fere ex praeoccupata sententia tale judicium natum esse arbitreris. Contendit autem hic illustrissimus vir effectum, qui post usum internum medicamentorum sedantium vel opii observetur, inde perspicuum fieri, quod integrae intestini partis functione depressa vel plane sublata prohibeatur, quo minus faeces magis magisque in parte resoluta accumulentur atque ita huic parti restaurandi otium detur, per quod massae ibi collectae contractionem provocare possint. Neque vero haec sufficere mihi videntur. Haud enim verisimile est, effectum medicamentorum tam accurate limitari posse, ut non amplius extendatur, quam usque ad certum quendam locum, ad sedem morbi hic haud raro ignotam. Quamvis concedere debeamus, integrae intestini partis functionem hac ratione deprimi ac retardari, tamen simul partem aegrotam potestate in massas ibi collectas reagendi destitui oportet, itaque quantum ex altera parte emolumenti paretur, tantum ex altera detrimenti profluere. Fere idem contradici potest, quod Rokitansky clysmatum narcoticorum vim inde vult intelligi, quod tota intestini pars infra

sedem morbi sita similiter, atque pars aegrota disposita sit, disponatur et relaxetur, qua de causa nunc massas supra accumulatas excipiat et tunc expellat. Supponamus partem superiorem tantum valere, quantum ad contenta tunc demovenda sufficiat, tamen non apparet, quomodo nunc pars inferior, quippe quae, id quod Rokitansky ipse concedit, in eadem versetur conditione, in qua partem aegrotam esse existimet, faeces depulsas submovere possit. Itaque causa morbi non tollitur, at vero haec ipsa causa in parte adhuc integra arte procreatur. Insuper superiorem partem vi impedimentum superandi privamus. Haec enim clysmata, ut effectum, quem exspectemus, exhibeant, donec prima narcoseos vestigia animadvertantur, adhibenda esse, Abercrombie jure adnotat. Quomodo autem tunc sperare possis, fore, ut pars superior contenta promoveat, quippe quae jam antea tantum non valuerit, perspicuum non est. Jam vides, quas in difficultates, quae non possint superari, inductus sis, neque poteris egregium horum medicamentorum effectum negare, etsi eum interpretari nequeas. Nihil autem est, cur tam artificiose rem explicare stu-

deamus, quum altera exstet sententia multo simplicior magisque, ut videtur, naturae consentanea. Quod autem adtinet ad sectiones cadaverum et quae ibi inveniuntur, refutare non poteris, statum, qui sit post mortem, ex spastica constrictione exortum esse. Nam si per longius tempus tale impedimentum affuerit, fere necessarium videtur, post mortem aliquam intestini partem dilatatam atque faecibus expletam inveniri, etsi causa prima jam sublata sit. His omnibus perpensis, judicandum esse opinor, ileum spasticum omnino negare nobis non licere.

Jam ad casum illum ilei, quem enarrandum elegi, progredi mihi liceat.

Gustavus S.... textor annum agit tricesimum tertium. Usque ad annum aetatis tricesimum bona semper valetudine usus est. Ex illo tempore fere continua alvi obstructione atque colica laborat. Bis jam in nosocomio caritatis ileo affectus affuit, sed in utroque casu, priusquam prorsus sanatus erat, adhortationibus Ill. Wolffii diutius remanendi neglectis, foras egressus est. Die decimo tertio hujus anni mensis Junii eodem gravissimo morbo labo-

rans iterum rediit. Valetudine jam ex longiore tempore perturbata aegrotus viribus admodum destitutus est. Facies pallida atque valde collapsa magnamque animi sollicitudinem indicans talem fere praebet adspectum, qualis in peritonitide cerni solet. Pulsuum frequentia non adaucta, ictus parvi quidem sed regulares. Cutis arida temperiem haud a norma decedentem ostendit; lingua est humida, sed integumento albo obtecta; omnis ciborum appetentia deest et aegrotus saporem amarum atque ingentem sitim accusat; urina parca quidem sed quod ad indolem normalis sine ullo labore mittitur; alvus obstipata; ructus atque vomituritiones aegrum infestant; quidquid per os ingeritur, brevi post vomitu redditur; abdomen tensum atque tympanice inflatum jam leviore tactu vehementer dolet, quare respiratio difficilis; sonus obtusus secundum intestini crassi decursum ex diuturna obstructione explicandus. Herniae vestigia nusquam reperiri possunt ceteraeque corporis et mentis functiones integrae inveniuntur. Tali in conditione versans aegrotus sub vesperem diei indicati in caritatis nosocomium receptus est.

Praescribebantur Hydrargyri chlorat. mitis gr. x uno haustu sumenda.

Insequenti die aegrotum in clinico Ill. Wolffii primum vidi. Totam per noctem se ingentibus doloribus cruciatum vigilasse lamentabatur. Adspectum re vera miserrimum praebebat. Quamdiu jam laboraret, interrogatus se ex octo jam diebus alvi evacuatione carere narravit. Neque vero initio hanc rem magni momenti se judicasse, quum haud raro per complures dies obstipatus fuisset. Attamen mox dolores colicos accessisse adque nauseam et exinde vomitum, quare se ad hunc locum transferri opus fuisse. Abdominis tensio hoc die jam ad permagnum gradum pervenerat, atque aegrotus dolores acerbos, imprimis in parte sinistra prope umbilicum, accusat. Neque vero ibi quidquam abnorme tactu cognosci poterat. Multa queritur aeger de ructibus atque vomitu, odorem enim foetidum se diutius sustinere non posse. Omnino homo morosus videbatur atque de vita jam desperans. Massae per os egestae colorem nigrum et faecum odorem praebebant. Febris vestigia nulla aderant. Medicamentum hesterno die praescriptum nullum ef-

fectum exhibuerat. Causa morbi singularis nulla erui potuit, itaque statuendum videbatur eodem modo, quo antea, ex perturbatis intestinorum functionibus ileum exortum esse. Haec sunt praescripta:

Ol. Amygd. amarar. aether. gtt. iij
Sacchari albi ʒj

M. f. pulvis. Divide in partes aequales sex. D. S. Bihorio pulvis sumatur.

Ad usum externum.
Extracti Belladonnae gr. iv
Solve in
Aq. fontanae ℥vi
D. S. ad duo clysmata.
Balneum tepidum.

Epithemata frigida ventri imposita; aqua glacie refrigerata pro potu data est.

Sub vesperam hujus diei meliori in conditione homo versabatur: ex meridie jam cessavit vomitus, dolores, quos in abdomine aeger senserat, multo mitiores facti erant. Excretio alvi nondum effecta. Sitis adhuc ingens, pulsuum ictus centum, parvi, paullulum tensi.

Postero die se doloribus non admodum crucia-

tum breve tempus dormivisse homo affirmabat et nunc melius se valere. Quum alvus nondum exonerata esset, praeter reliqua remedia denuo Hydrargyri chlorat. mit. gr. x praescripta sunt. Attamen hoc remedium non meliorem quam antea effectum exhibebat. Abdominis tensio balneo calido paullulum diminuta est, ceterum autem nihil mutatum.

Itaque insequenti die Belladonnae dosis augenda, ad alvum autem exonerandam validius remedium adhibendum videbatur. Tempus enim satis longum jam praeterlapsum erat, ut jure aliam viam ingrediendam esse judicari possit. Haec praescripta sunt.

Ol. Crotonis gr. iij
Pulv. Rad. Althaeae gr. x
Extract. Taraxaci q. s. ut fiant l. a. p. numero xij.

Consp. D. S. ternis horis pilula una sumatur.

Ad usum externum.

Extracti Belladonnae gr. viij
Solve in Aq. fontanae ℥ iv
D. S. ad duo clysmata.

Praeterea balneum calidum, epithemata frigida ad abdomen, aqua frigida pro potu, ut antea, imperata sunt.

Tempore vespertino sub horam octavam altero jam clysmate adhibito omnia narcoseos symptomata accesserunt: pupillae enim dilatatae, faucium et oris siccitas, capitis dolores et gravitas, pulsuum ictus CXX. Huc accessit, ut phantasmata varia cernerentur ita ut aegrum multa continuo sermone locutum ac iterum iterumque surgere conatum vi in lecto detineri oporteret. Duabus circiter horis elapsis conscientia rediit, pulsuum ictus ad normalem frequentiam reverterunt, attamen pupillae usque ad posterum diem dilatatae manebant et homo, quod omnino viribus destitus esset, conquerebatur. Id certe constabat dosin Belladonnae nunc satis magnam adhibitam esse, ut, si quid ejus vi effici potuisset, hoc in casu profecto effectum esset. Per reliquam hujus noctis partem aegrotus paululum dormitavit.

D. XVII Junii. Abdomen denuo magis inflatum atque tensum, quare aeger huc illuc se jactans validis doloribus se cruciari lamentabatur. Aliud symptoma malum, quod timebatur, sub meridiem rediit, vomitus imo faecalis. Initio quidem massae egestae, quamvis odorem fastidiosum, tamen non faecum naturam praebebant, sed mox ex meris faecibus eas constare, manifestum erat. Qui vomitus etsi

oleo Crotonis porrecto fere exspectandus videbatur, tamen de hoc medicamento praescribendo, urgente necessitate coacti, dubitare non potuimus. Aptius autem judicatum est, dosin refractam saepius iterari. Nunc certe statim est sepositum atque Oleum Amygd. amarar. aethereum eadem dosi et formà, qua antea, denuo in usum vocatum. Itaque re vera contigit, ut vomitus sub vesperam finiretur, ructus tamen foetidi remanebant. Jam ad extremum res venerat. Conditio aegroti miserrima. Facies incanescens et collapsa, sudore frigido madescens, oculi subsidentes et qui summam anxietatem indicarent, cutis laxa et arida, urina parca et saturata. Dolores in intestinis tam vehementes erant, ut aegrotum nullo in situ quiescere paterentur eumque ad continuos clamores excitarent. Jam ex nono die alvus obstipata erat, nullo remedio excretio potuerat provocari; unum tantum supererat, quo aliquid effectum iri sperare licebat: Mercurius vivus, cujus metalli uncias sex uno haustu aeger sumsit.

D. XVIII Junii. Hora IX ante meridiem talem adspectum aegrotus praebebat, ut vix aliquid de ullo remedio sperari posset. Facies fere hippocratica; extremitates sudore frigido tectae; abdominis

tensio enormis et tantas excitans molestias, ut homo miserrimus ipse sibi persuasum haberet non amplius mortem se effugere posse, quae propter vires ad extremum consumtas haud procul videbatur abesse. Adeo enim aeger debilitatus erat, ut submissis tantum suspiriis vitam dolorificam adhuc praesentem indicaret. Sed medici est, non desperare, priusquam certa mortis signa adsint. Quare, quum illae sex mercurii unciae effectum nullum exhibuissent, hodie iterum unciae octo porrectae sunt. Statim post hanc dosin haustam multae faeces, in quibus aliquantulum hydrargyri affuit, vomitu egestae sunt. Itaque haec praescribenda videbantur:

Ol. amygd. amarar. gtt. j

Sacchari albi gr. x

M. f. pulvis. D. tales doses numero sex D. S. Bihorio pulvis sumatur.

Ad usum externum

Ol. Ricini ℥ ij

Gummi mimosae q. s. ut fiat cum Aq. fontanae ℥ ij. emulsio.

D. S. clysma.

Balneum calidum.

Hora prima post meridiem tandem magna faeculenta massa per anum secessit, similis ei, quae vomitu ejecta fuerat, quo facto statim maximum levamen aegroto illatum est. Hydrargyrum in excretis reperiri non potuit. Dolores in intestinis valde sunt diminuti, abdomen multo minus inflatum, quo factum est, ut somni aliquid homo caperet. Per decem igitur dies alvi obstructio perseveraverat. Hoc die et insequenti nocte sex praeterea sedes copiosae secutae sunt.

Postero die in multo meliore conditione aegrotum versari haud difficile intellectu erat. Alvi enim fluxibus tanto laetior status erat redditus, ut quum perpaucis horis ante mors jam imminere videretur, nunc aegrotus atque medicus eadem spe vitae servandae tenerentur. Facies collapsa quidem, minime vero tantam, quantam antea, animi sollicitudinem indicans, vel etiam ciborum appetentia aderat. Vomitus, ructus, nausea prorsus deerant. Abdomen plenum quidem tactu, sed molle, nec vehementer dolens. Neque vero statim prognosis bona statuta est. Fieri enim posse, licet intestina sint pervia, ut exitu lethali morbus finiatur, experientia docti sumus.

Praeterea timendum erat propter vires admodum prostratas. Certe imprimis efficiendum videbatur, ut intestina omnino vacuefierent. Itaque haec praescripta sunt:

Ol. Ricini ℥ j
Gummi Arabici q. s. ut f. em. c.
Aq. fontanae ℥ v
Adde
Elaeosacchari Chamomill. citrat. ʒ β

M. D. S. Bihorio cochlear majus sumatur.

Per totam noctem insequentem aegrotus placide dormitavit.

Postero die, emulsione adhibita, secessus copiosus effectus est. Urina tunc permulta et limpida mittebatur, lingua humida et pura, ciborum cupiditas satis magna reperiebatur. Itaque faustus exitus propius jam accessisse putabatur. Attamen hoc eodem die morbi symptomata redierunt. Abdomen magis magisque inflatum atque tensum et regio epigastrica vehementer dolens. Alvus hoc die non est exonerata, sed potius ructus et nausea aegrotum cruciare inceperunt atque abdominis tensio rapide increvit.

Quare die XXI Junii clysma ex oleo Ricini applicatum est. Exinde multi secessus copiosi, unde evenit, ut hominis molestiae multo mitigarentur. Abdomen enim non admodum inflatum atque molle tactu. Attamen accusavit aeger tormina ventris, atque imprimis dolorem valde suspiciosum in loco prope umbilicum sito, quem supra jam indicavi. Nunquam prorsus hunc locum a dolore modo magis modo minus acerbo liberum fuisse narravit. Abdomine adhuc modice inflato haec sunt praescripta:

Olei Carvi aetherei ℈ß

Spiritus muriat. aetherei ʒ ij

M. D. S. Dentur bihorio gtt. xx

Eodem die secessus complures faeculenti. Nocte insequente in somnum placidum incidit.

Postero die nihil commemoratione dignum occurrit.

Die XXIV Junii medicamenta permutata sunt. Tempus enim visum est consulendi, ut intestinorum functiones confirmarentur. Attamen simul cavendum erat, ne tali uteremur medicamento, quod alvi obstructionem denuo provocare possit. Quare maxime consentaneum judicatum est, haec praescribere:

Extracti Rhei ℈j

Ol. Foeniculi gr. x

M. f. pilulae numero triginta duae C. D. S. quater 2 pro die.

Praeterea clysmata administrata sunt; epithemata frigida abdominis, quae hucusque applicata erant quibusque lenimentum permagnum aegroto, ut ipse contendit, illatum erat, non esse interdicenda putavimus. Diaeta quoque eundem in modum mutata est, homo enim ciborum valde cupidus erat. Quamvis autem tali curatione complures per diem secessus faeculenti et molles provocarentur, ita ut pilularum numerus die XXVII Junii diminueretur atque tantum duae per diem porrigerentur, imo adeo die XXX. omnino medicamentum seponi deberet, tamen ille dolor prope umbilicum sine intermissione remanebat, quare de inflammatione cogitari posse visum est. At vero haec suspicio nullis praeterea symptomatibus confirmabatur. Nihil enim nisi illum dolorem aegrotus habebat, quod accusaret, febris nullum aderat vestigium, abdomen tactu normale, excretiones alvi haud perturbatae, lingua humida et pura, bona ciborum cupiditas, urina talis, qualis

in hominibus sanis reperiri solet. Itaque res pro tempore in suspenso relinquebatur. Aliud autem imminebat periculum.

Die enim III. Julii nimii alvi fluxus exorti sunt, quae res magni momenti aestimari debebat, quum eodem illo tempore complures aegroti in clinico in morbum epidemicum incidissent sedesque talem praeberent indolem, qualis in cholera semper observari solet. Regio illa prope umbilicum simul multo magis dolebat, pulsuum frequentia non increverat, vires autem valde collapsae, cutis laxa et exsiccata tanquam ac frigida. Statim igitur praescripta sunt:

Tincturae Opii benzoicae
Mucilaginis Gummi mimosae
Syrup. Sacchari *ãα* ℥j
Aq. Fontanae ℥iij

M. D. S. Singulis horis cochlear majus sumatur.

Ad usum externum

Fomenta calida abdominis ex oleo
Terebinthinae aether.
Balneum calidum 32° R.

Tali curatione factum est, ut cutis mox turgere inciperet atque aeger per totam insequentem noctem

multum sudorem emitteret posteroque die conditio ejus multo melior judicari posset.

Novissimo die multae odore carentes massae liquidae coloris cinerei ejectae erant, inque iis prima vestigia Hydrargyri diebus octodecim antea porrecti reperta sunt. Metalli enim aderant fere unciae tres et praeterea Hydrargyrum sulphuratum nigrum inveniebatur.

Insequenti die complures ejusdem indolis edebantur sedes, similiter continentes Hydrargyrum. Omnino unciae sex collectae sunt. Postea quidem etiam aliquantulum hujus medicamenti per anum egestum est, minime vero, quum nimis parca copia esset, colligi potuit. Proximis diebus aegroti conditio fere nihil mutata est; homo semper de illo dolore ciborumque fastidio atque magna prostratione conquerebatur.

D. X. Julii. Hora prima post meridiem paroxysmus intravit intermittentis, qui quum non rediret, omnino neglectus est.

D. XI. Julii. Denuo massae fuscae odoris fastidiosi, quae tamen num faeces re vera continerent, certo dijudicari non potuit, vomitu ejectae sunt.

Alvus eodem tempore minime obstipata, singulis enim diebus complures intraverunt secessus liquidi, odorem quidem foetidum, eundem tamen adhuc, quem antea, colorem praebentes, ex quo concluderes bilem iis non contineri. Neque vero ullum reperiri symptoma ad hepatis quendam morbum referendum, nihil abnorme in regione hypochondriaca dextra palpatione potuit cognosci, color ictericus nusquam cernebatur, febris omnino deerat, lingua humida et pura, urina colorem praebens normalem. Res satis quidem miranda pro tempore explicari non posse videbatur itaque in suspenso relinquebatur.

D. XII Julii. Digestionis perturbatae atque magnae virium prostrationis ratione habita haec praescripta sunt:

Liquoris Ammon. anisat. ℈ ij
Tincturae Arnicae ʒ ij
Tinctura Absynthii ℥ β
Aq. Menthae ℥ v

M. D. S. Bihorio cochlear majus sumatur.

Hoc medicamento per longius temporis spatium usus magis magisque ex morbo aegrotus convaluit,

increvit ciborum cupiditas, vomitus ac deinde ructus cessarunt, color faciei melior redditus est, animi morositas in hilaritatem conversa. Tantum interdum dolorem illum prope umbilicum accusavit, qui tamen semper brevi evanuit neque unquam ad permagnum gradum pervenit. Singulis diebus secessus copiosi, qui tamen eodem insigniebantur colore usque ad d. XXIX Julii. Inde faeces egestae naturam solitam praebebant atque aegrotus tam bona conditione utebatur, ut e nosocomio egredi adque negotia redire gestiret, quamvis eum experientia doctum esse putares, quantum hoc faciens periculum subiturus esset. Attamen denique multis adhortationibus, ut diutius in nosocomio remaneret, donec omnino sanatus foras exire posset, commotus est.

VITA.

Ernestus Alexander Wuttig, evangelicae addictus confessioni, natus sum Francofurti ad Viadrum die XIII. m. Martis anno h. s. XXVII patre Ludovico, matre Carolina e gente Francke, quos ambos adhuc vivos et salvos veneror. Primis literarum elementis in patria domo imbutus, ex undecimo aetatis anno Gymnasium Francofurtense, quod directore Cel. Poppo floret, frequentavi. Cursu scholastico absoluto, maturitatis testimonio instructus, mense Octobri anni MDCCCXLV inter alumnos instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus sum et per quadriennium hisce interfui Virorum Illustrissimorum et Celeberrimorum scholis:

Cel. Werder de logice et psychologia;

Cel. Preufs de historia;

Ill. Hecker de encyclopaedia medica, de pathologia generali, de Celsi libris, de medicinae historia, de psychologia;

Ill. Schultz de botanice;

Ill. Link de botanice, historia naturali, de cryptogamis;

Ill. Lichtenstein de zoologia;

Ill. Dove de physice;

Ill. Mitscherlich sen. de chemia organica et anorganica, de pharmacia;

Ill. Weifs de mineralogia;

Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia, splanchnologia;

Ill. Mueller de anatomia universa, de physiologia, anatomia comparata et pathologica;

Exp. Bruecke de histologia microscopica;

In arte cadavera rite secandi Ill. Schlemm et Ill. Mueller mihi fuere duces.

Praeterea disserentes audivi:

Beat. Eck de therapia generali et de semiotice, de physiologia, de morbis contagiosis, dissimulatis et simulatis;

Ill. Mitscherlich jun. de materia medica, de medicamentis excitantibus;

Beat. Horn de morbis psychicis;

Ill. Schoenlein et Ill. Romberg de pathologia et therapia speciali;

Ill. Juengken de chirurgia;

Ill. Casper de arte formulas medicas rite concinnandi, de medicina forensi;

Ill. Schmidt de arte obstetricia;

Cel. Troschel de arte fascias rite imponendi, de ossibus fractis et luxatis;

Cel. Boehm de akiurgia, de morbis oculorum et de operationibus ophthalmiatricis;

Exp. Traube de auscultatione et percussione.

Exercitationibus clinicis chirurgicis, medicis, obstetriciis, ophthalmiatricis, syphiliticis interfui Virorum Illustrissimorum Langenbeck, Angelstein, Juengken, Schoenlein, Wolff, Romberg, Schmidt, Boehm', Simon.

Omnibus his viris honoratissimis quas possum maximas ago gratias semperque habebo.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque rite defensis summi qui sunt in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Ileus spasticus exstat.
2. Effectum egregium, quem in ileo Mercurius vivus exhibet, mechanice solum explicare non possumus.
3. Irritatio spinalis non est morbus peculiaris.
4. Febris in peritonitide omnino potest deesse.
5. Tuberculosis et scrophulosis morbi ejusdem generis.
6. Laparotomia in ileo non omnino rejicienda.